DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
PERTRACTANS
FEBRIM PUTRIDAM SIMPLICEM,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

NEC NON

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. Professorum

pro

Doctoris Medicinae & Chirurgiae Laurea

RITE OBTINENDA IN CELEBERRIMA

C. R. ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA JOSEPHINA

publicae disquisitioni submittit

Antonius Tautz,

Austriacus Ypsensis,

Medicus castrensis.



In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die . mensis Aprilis 1841.

Vindobonae.

Typis Caroli Ueberreuter.

Si non ingenium, certe brevitatem adproba.

Phaedr. Lib. v. Fab. V.



REVERENDISSIMO AC AMPLISSIMO

DOMINO DOMINO

WILHELMO EDER,

Abbati monasterii Mellicensis,

SAC. CAES. REG. APOSTOL. MAJEST. CONSILIARIO, INCLYTORUM STATUUM INFERIORIS AUSTRIAE PRIMATI, NEC NON REVERENDISSIMI STATUS D. D. PRAELATORUM PRAESIDI, STUDII THEOLOGICI DOMESTICI ET CAES. REG. GYMNASII MELLICENSIS DIRECTORI LOCALIS, CAES. REG. SOCIETATIS OECONOMIAE VIENNAE MEMBRO ET DELEGATO

etc. etc.

VIRO

PIETATE IN DEUM AC MERITIS IN PATRIAM

INSIGNI,

ERUDITIONE, MANSUETUDINE,

HUMANITATE, AC LIBERALITATE

PRAECLARO,

BONARUM ARTIUM SCIENTIARUMQUE

FAUTORI,

NEC NON

MAECENATI BENIGNISSIMO,

TAMQUAM

ANIMI GRATISSIMI, PERENNIS VENERATIONIS

MONUMENTUM

PIA MENTE EXIGUAS HASCE PAGELLAS

offere ac consecrare audet

devinctissimus

Auctor.

Perillustris ac spectabilis Domine,

Vir summe ac integerrime!

Eximius ille favor singularisque clementia, quibus me devinxisti, indomabili me incendunt cupiditate, **Tibi, Reverendissime Domine!** supremam meam in **Te** venerationem atque pietatem omnimodo testari; — hoc ex irritamento et insimul, ut gratissimi in **Te** animi vota ubera palam reddam, longe auspicata occasione mihi tandem arridente, ausus sum, meas has litterarum medicarum primitias — quo summos gradus academici consequar honores — **Illustrissimo nomine Tuo** coronare.

Suscipias igitur, precor submisse, foetum hunc qualemcumque meum serena, quam erga bonos constanter geris, fronte, et in posterum etiam me celebratissimae **Tuae** benignitatis ac gratiae alis clementer protegas.

Deus summus medicus **Te, Reverendissime!** ad seros usque aetatis annos sospitem ac incolumem conservet, insuperque omnigenae tandem prosperitatis gaudio beet cumulatissime.

Ita ex intima favet animo

Tibi

Reverendissime ac Amplissime Domine

devotissimus

Tautz.

Praefamen.

Ex aegritudinibus et aerumnis multifariis ac propemodum infinitis, quibus in dies vexatur genus humanum, non mediocriter eminet ac medici gnari opem postulat „*Morbus*“ de quo, nobis morem gerentibus legibus Academicis et specimen studiorum edituris, dissertationem hancce inauguralem, in medium proferre, sententia tandem sedit.

Non vero nos latet, imo bene novimus, quam arduum et fortasse viribus nostris prorsus iniquum munus exequendum suscepimus: sed si Lector benevolus secum reputare voluerit, in quam difficilem atque nullis fere limitibus circumscribendam materiam nosmet implicuerimus, idque cum in praxi medica parum adhuc versati simus; haud nobis aberit spes, quin, si quaedam minus perpolita, temere, minus atque crude conscripta, nos pro illius candore et humanitate fore condonandos; illumque haec, qualicumque, bono animo interpretaturum. Nobis interea, nisi collegisse candide et lubenter profiteri non erubescentibus, utpote qui alioquin in celeb. virorum conatus ingrati essemus, saltem in magnis laborasse, sufficiat.

Definitio.

Morbum jam adgrediendum, interea disquisitione de loco ejus idoneo apud nosologiam prorsus ex consultu praetermissa, sic definire placitum: „Febris synochae speciem initio prae se „ferens, exinde per decursum typhodes, insigni praeterea de„bilitate solidi vivi notata, saepiusque finem versus praecipue „variis summae et universae colliquationis ac putredinis indiciis „stipata.“ — Apud varios auctores diversissima nomina sortitus est hicce morbus; Cullen folia octo variis istius denominationibus adimplet. Ad usitatissimas hisce temporibus pertinent: Synochus putris; typhus (Hippocrates); febr. nosocomialis, carcerum, navalis; febr. maligna (Huxham, Pringle); febr. pestilentialis; ex hisce nos maxime arridet titulus „Febris pu„trida simplex“ (Richter) quo insimul eminens hujusce morbi character in putredinem versus, quin aliis morbis sit complicata, denotatur.

Initium ac ulterior morbi decursus.

Amat febr. putrida consuetas istas tres „*typi*" formas; verumvero rarissime sub illa *intermittentis*, nonnunquam solummodo *continui*, ad maximam vero partem apud nos sub illa *remittentis* observatur.

Instante hoc morbo, paucis diebus ante invasionem corripitur aeger magna animi dejectione, virium prostratione subita, capitis gravitate, uti et inertia totius corporis insolita, artuum lumborumque dolore, sicuti oris impuritate matutina. Appetitus illi fere nullus et somnus interruptus: interdum vero proclamat morbi adventum solius capitis dolor atrocissimus. Haec sunt, quae observatu dignissima, ante ejusdem evasionem perfectam occurrunt.

Invadit vero consuetim multo vehementius quam febr. nervosa. Rigores, si qui fiunt, majores in illa, qnam in hac; calores quoque magis acuti, diutius permanentes, — quamvis ab initio subiti tantum, fugaces ac remittentes esse videantur. Pulsus etiam magis tensus ac durus, ast plerumque citus et parvus; aliquando, prout videtur, tardus ac regularis, deinde tremulus ac inaequalis. Cephalalgia, vertigo, nausea nec minus ab accessione prima vehementiores ingruunt. Sentitur interdum in singulis, vel utrisque temporibus, nec non supra alterum vel utrumque supercilium, saepe ad oculorum orbitam imam, dolor fixus, immanis. In primis symptomatibus talia sese produnt: summa virium prostratio ac debilitas; anxietas, animi dejectio, tanta ut pessima quaevis ominetur aeger: lassitudo, manuum tremor magnus, cephalalgia vehemens, vertigo atque nausea. Aliquando, praesertim in regionibus sub sole calidiori jacentibus, vomitus biliosus, superciliorum dolor; oculi pleni, graves, colore flavescentes tumidi, saepius inflammati, cernuntur. Vultus vigor intercidit, praeterque solitum lugubris et quasi inflatus, insigniter pallescit. Temporum arteriae, utplurimum fortiter pulsant, quin et desit aurium tinnitus, valde molestus. Sitis adhuc nulla vel parca; lingua albescens, humida; urina plerumque cruda, pallida et turbida. Sanguis, vena inscissa, crusta coriacea coopertus, sub hoc morbi stadio saepius offenditur.

Morbo progrediente symptomata quaelibet exacerbantur. Nunc vis nervea magis magisque pessundatur, vires imminuuntur. Animo prosternitur aeger, omnisque salutis futurae spes abjicitur. Haecque simul, nulla evacuatione adhuc facta, cum languore ac debilitate summis inopinato superveniunt, idque mirum, quum interea pulsus aliquando satis fortis esse vi-

deatur. Respiratio, utplurimum, laboriosa et cum singultu peragitur; ardet, cum graveolentia, spiritus. Lingua, quae, ineunte febre, prius albescebat, in dies magis magisque atra, mox valde arida, rigida et nigra, — hinc evenit, ut miser articulate aut plane loqui nequeat; vox plerisque debilis, submissa, indistincta effertur. Saepissime sub hoc morbi stadio, arteriarum carotidum vibratio fortis accedit. Sitis quoque nunc fere inexplebilis aegros sollicitat. Nihilo minus nullum non potus genus, ut ingratum, aversantur; omne, quod bibitur, vel amarorem sapit, vel nauseam parit. Alias vero, sane mirum, quamvis iis os ac lingua tunc maxime sordeant et arescant, de nulla prorsus siti conqueruntur. Hoc pessimi quidem ominis signum habetur et a phrenitide vel comate mox excipitur. Labia dentesque, sub morbi decursu praecipue, sordibus perquam nigris ac tenacibus obliniuntur. Cutis attactu primo non praeter solitum calescit; si vero eam digito longius exploraveris, calor quidam, quasi pungens atque mordax attactione sentitur, eadem plerumque arescit. Alvus, prout varia coeli temperies enascitur, modo soluta, modo adstricta deprehenditur. Pulsuum frequentia pari passu cum aegri viribus imminuitur, — ni delirium vel debilitas insignis accedant; quae si quidem fiunt, tardus evadit. Assiduae urgent vigiliae; nec ullus adest somnus reficiens. Delirium plerumque, hoc morbo decumbentibus, ut in phreniticis, ferocissimum intervenit; nonnullos vero stupor quidam cum animi perturbatione potius afficit. Manuum tremor validius intenditur; idque cum interea nullus — stricte dictus — tendinum subsultus intersit. Abdomen modo molle, modo vero valde durum tensumque. Urina, morbo ineunte cruda, pallida, turbida, provectiore rubicundior, per aliquot dies nihil ad vasis fundum deponit, ne nubeculam quidem ostendit; paulatim vero magis atra fit et cerevisiam vapidam, male coloratam refert, graveoletque; interdum prope nigra, colore et odore gravissimis. Alvi faeces etiam odorem intolerabilem plerumque spergunt, virescunt vel nigrescunt et saepe cum gravibus ventris torminibus sine levamine abeunt. Iisdem aliquando nausea vomitusque cum ardore circa stomachi ventriculum, pondere, dolore, ac singultu molestissimo comitantibus, incidit; quod autem ejicitur, nigri, porracei coloris, ut plurimum, odorem foetidissimum spirat. Sanguis vero nunc missus, nulla crusta coriacea coopertus, ast prorsus dissolutus, imo aliquando nigrescens cum sedimento fuliginem referente, conspicitur.

Gradu tertio, *ultimo* nunc ingruente, omnia in deteriora ruunt; praesertim vero varia summae et universae putredinis indicia celeriter ingravescunt. Spiritus, supra quod credibile aut

tolerabile, graveolescit. Sudor etiam, urina alvique evacuationes, vehementer foetent. Sanguis e naso gingivisque subinde guttatim stillat; idemque, venesectione jam facta, crusta coriacea prorsus vacat — imo, si donec defervescat, in vas seponatur, brevi tempore putridus omnino deveniet; aliquando etiam e vena adhuc fluens, foedum odorem spargit. Nunc quoque „*petechiae*" seu maculae nigrae, lividae, fuscae vel virides, interdum eruptiones longe pejoris ominis, magnae, lividae vel coloris atro-virentis, vibices nuncupatae, in conspectum prodeunt. Hae vero per raro, nisi morte imminente, cernuntur. Petechiarum eruptionem intra nullum certum tempus definire possumus: interdum circa quartum vel quintum diem sese proferunt: aliquando vero nonnisi ad undecimum vel quidem serius, circiter decimum quartum diem, sudoribus largis obortis, eas evanescentes excipiunt pustulae albescentes „*miliares*" dictae, magna copia erumpentes. (Ast non perpetuo sese prout comites huic morbo praebent petechiae, quippe quae originem suam a causis tum a se invicem, uti etiam ab ipso morbo alienis saepe saepius ducunt. Facilius a ceteris omnibus maculis, qua aliis in morbis se conspectui praebent, discernantur, ex eo, quod, uti notat Pringle, haud unquam extra cutis superficiem eminent. Jamque, natura deficiente et aegri viribus hoc morbo funestissimo infractis, in praecipiti stat vita. Nec per minimum temporis intervallum a summo cruciatu miser expers habetur. Mente plane delirat; excrementa eo inscio involuntarie delabuntur; auxilium omne adstantium recusat et secum indesinenter mussitat. Arteriarum ictus adeo citi, parvi ac irregulares evadunt, ut numerari, nedum distingui, imo vix percipi possint; semper, in tergum decumbens, sensim ad imum lecti elapsus subsidet et floccos carpit. Convulsiones, praesertim faciei, cum sudore frigido, superveniunt; oculi obscurantur et pectus, quasi nimia plenitudine distentum, extrorsum prominet; summo cum molimine jam respirat. Supra quod haud credibile, aut vix ullis verbis enarrabile, discruciatur; donec natura deficiens, una cum spiritu, miserum, superis jam gravem, plane destituit et morti, priori miserarum ac aerumnarum requieti, conclamatum tradit.

Harum febrium *duratio* varia prorsus atque incerta. Modo intra diem septimum et decimum quartum ab insultu, aliquando non ante vicesimum primum judicantur. Alias vero in complures septimanas protrahuntur. Hoc equidem ex aegri habitu aut idiosyncrasia vel contagionis indole plus minus virulenta, aërisve circumambientis malignitate vel benignitate, ceu demum methodo curatoria magnopere pendebit. Hac febres diu excur-

rentes, hecticae, remittentis vel etiam intermittentis typum induere aliquando solent, saepiusque suppuratione glandularum parotidum, axillarum vel inguinalium judicatae discedunt. Convalescentium plurimi de artuum dolore et somni fuga conqueruntur: omnes fere debilitatem maximam et capitis quasi perturbationem quamdam una cum vertigine auriumque tinnitu longum experiuntur.

Dissectiones. Ex cadaverum hoc morbo defunctorum inspectione, non tam morbi causà, quam effectus innotescunt. Capite referato permultis in cerebro et cerebello abscessus in conspectum prodidere; eadem etiam interdum gangraena vitiata deprehensa; hocque in nonnullis contingit, quibus, per morbi decursum, imo sub mortem, delirium perexiguum adfuit. Contra vero in aliis, qui delirio, etiam feroci, moribundi laboravere, cerebrum ne minime adfectum reperiebatur. Contingit etiam Pringlio, vidisse cerebri ventriculos hominis cujusdam, hac febre defuncti, materia purulenta refertos; cum idem, adhuc vivus, illo referente, nullam amentiam notabilem subiit, nisi ejusque noctem, cui dies illusit, in quo mortem obiit. Abdomine reserato integumentisque deductis, viscera, praecipue ventriculus et intestina in universum, inflammata atque saepe sphacelata, reperta fuere. Idque praesertim iis incidit, qui sub mortis articulo diarrhoeam perpessi fuere.

Diagnosis.

Ad diagnosim rite statuendam satis esse ducemus, si discrimina primaria, febrim inter putridam simplicem et inflammatoriam atque nervosam, quibuscum a prima origine facile confunditur, singillatim exposuisse valeamus.

α. Febris inflammatoria.

Haud multis verbis opus erit enarrare, quibusnam tandem a sese discrepent feb. inflammatoria atque putrida. Earum vero discrimina satis lucide, quae sequuntur, rite perpendenti, patebunt.

I. *Pulsuum ratio in utraque.* Ictus arteriarum vero, in feb. inflammatoria fortes, duri validique; cum in putrida parvi, molles et debiles esse notantur.

II. *Venaesectionis effectus diversus in singulis.* Si venaesectio in feb. putrida instituatur, percussus arteriarum, ut plurimum, inde mirifice debilitantur et retardantur; eandem vero iterum celebratam sequitur summa et subita virium prostatio

ac saepissime mala, nullo modo postea reparabilia, ex ea nascuntur; quibus omnia contraria in febr. inflammatoria reperiuntur.

III. *Sanguinis ipsius, venaesectione in utrisque educti, facies et qualitas valde diversa.* Namque sanguis hominis in feb. inflammatoria decumbentis, elicitus, fortiter concrescens et crusta tenaci, glutinosa, coopertus numquam non fere offenditur; cum idem, in putrida, parum aut leviter cohaerens, saepe prorsus dissolutus ac foedius olens, ut plurimum, observatur.

IV. *Petechiae, vibices et alia summae putredinis indicia, cum ceteris, quae febrim putridam vulgo comitantur.* Qualia, nempe: spiritus graveolentia, oris foetor, sudores foedius olentes sicuti et alvi dejectiones putridae, copiosae, involuntarie dilabentes; quibus nequidquam consimile in feb. inflammatoria deprehenditur.

V. *Color in utroque febre connatus.* Ab hoc vero, respectu ad ejus qualitatem habito, maximum inter feb. putridam ac inflammatoriam discrimen arcessimus. Nam in hac, licet statim, primo attactu, prout videretur magnus satis calor percipiatur; idem tamen a tangentis digiti calore vincitur et paulo post minus offenditur: in illa vero, quamvis primo cutis non praeter solitum, tangenti digito calescere videatur, eam tamen attactu diutius exploranti, quasi omni temporis momento calor succrescit; ejusque digitum pungit mordetque, ac si de profundo corporis calor emerserit. Hocque maximum febrium putridarum indicium *Galenus* jam posuit (*De feb. differ. Lib. I Cap. 9*).

VI. *Denique, non leve discrimen*, febrem inter quam tractamus et inflammatoriam, *petitur ex causis in utroque praedisponentibus ac remotis*, nec non hominibus unicuique oportunis, studiose perpensis, sicuti prima utriusque invasione illa laborantes, multo magis, quam hoc, animis dijiciuntur viribusque prosternuntur.

β. Febris nervosa sive typhus.

Aliquanto difficiliora, sed non — uti speramus — insuperabilia prorsus, aggredimur. Hoc ex eo ita provenit, quod, in perplurimis sub initium praesertim, sese mutuo referre videantur febr. putrida et nervosa, adeo, uti quis fere dicat, illis esse symptomata permulta communia. At si nobiscum lector benevolus animum ad sequentia sedulo adverterit, eas alteram ab altera nec minus in hisce singulis, longe discrepare haud secus ac nos clare videbit. Strictim vero quaeque percurremus. Sed primo, typus invadit haud aliter atque feb. putrida, plus

minus cum horrore, calore, lassitudine, animi dejectione, cephalalgia, vomitu, nausea, vertigine, turbato pulsuum ordine, spiritu difficili; vultu squalido et quasi lugubri, urina limpida, linguae albedine etc.

Haec sunt, in quibus sub initio praecipue convenire videntur. Unumquodque vero, seorsum intuenti, prout in utraque febre occurrit, ea omnia plane et singulatim differre, protinus in manifesto patebit.

I. *Plus minus cum horrore.* Horrores vero, prout antea morbi historiam ineuntes, adnotavimus, in febris putrida, quam in typho, vehementiores, sicut et rigores, invalescunt.

II. *Calore.* Idem quoque de calore dici potest; quippe qui in illa, multo magis, quam in hac, acutus seu quasi mordax, etiamque diutius permanens inhaerescit.

III. *Lassitudine.* Lassitudo quidem in utraque febre occurrit. Magnum vero interest inter eam, quae in putrida atque nervosa subvenit. In hac vix ullus artuum dolor; nulla vero, utplurimum, lumbago. Contra, in illa, utraque saevissima semper, plus minus, aegrum divexant.

IV. *Animi dejectione.* In typho, animi aliquantum gravati, tantum dejiciuntur, et ea decumbentes, per sex vel septem dies, ita adfecti, neque multum quasi aegrotant, neque tamen intega valetudine gaudent. Contra, in febri putrida — quamvis evacuatio nulla — nulla etiam humorum prius jactura fuerit ac pulsus satis validi videantur „animi dejectio" tamen subita atque magna supervenit.

V. *Cephalalgia.* Haec quoque ab ipsa morbi accessione, in illa, quam in hac longe gravior et vehementior incessit. Adde etiam, quod in tempore altero, vel utroque, aut interdum super alterum vel utrumque supercilium, saepe vero in infima oculorum orbita, dolor maximus incedit: cum in typho nonnisi dolor quidam obtusus, a torpore, qui a frigore provenire solet, parum abludens*, qui etiam in occipite sedem habere consuevit.

VI. *Nausea vomituque.* Vomitus etiam in typho; sed neque adeo vehemens, neque frequens ac in febre putrida occurrit. Nam in hac cum dolore, ardore et quasi quodam ponderis sensu, ad stomachi ventriculum, una cum singultu molestissimo, eodemque propemodum assiduo superingruit; quod vero rejicitur, coloris nigri et poracei, foedum odorem spirat. Contra in typho, quamvis, utplurimum, aegrotantes nauseant, nihil tamen, nisi pituitam insipidam, eamque parva tantum copia, ore ejectant.

VII. *Turbato pulsuum ordine.* Quod ad pulsuum ordinem, ii vero in febris putrida magis tensi et duri, atque sic deinceps in ceteris, prout antea commemoravimus, obveniunt.

VIII. *Spiritu difficili.* Typho decumbentes spiritus molestus premit: idem vero non assiduus; utpote qui subinde revertitur, ut in singultu quodam, vel suspirio, magis consistere videatur. Nullus tamen aut spiritus ardor, aut graveolentia iis adest. Contra in putrida — ut plurimum — laboriose et cum singultu frequenti, respiratur. Spiritus item ardet, atque ob odorem foedissimum, adstantibus valde molestus offenditur.

IX. *Vultu squalido et quasi inanimi.* In febribus nervosis, vultus potius maestus et lugubri consimilis: cum in putridis, magis solito decolor et maculis quodammodo interstinctus.

X. *Urina limpida.* Neque leve discrimen, ex urina sola perspecta et explorata, febrem inter putridam et typhum, esse patebit. Nam in hac urina, quamvis saepissime pallens atque limpida; non raro tamen etiam colore talis evadit, qualis serum lactis et aliquando cerevisiam tenuem vapidamque simillat. Idem fere nihil ad imum vasis fundum dimittit, aut tantummodo quaedam, purum cohaerentia, per eam dispersa innatant. Ecce vero in illa urina, quae in initio limpida, cruda, pallida et turbida fuerat, morbo jam provectiore, mutatur et tandem lixivium merum vel urinam citrinam, sanguinis striis interstinctam, repraesentat. Eadem vero, per aliquot dies, nihil ad vasis imum devehit: ne quidem in sese nubeculam suspensam ostentat. Paulatim vero magis atra, cerevisiam vapidam, male coloratam, refert, graveolet ac interdum prope nigra, colore ex odore gravissimis intercedit; huic vero nihil in typho consimile prorsus intervenit.

XI. *Linguae albedine.* Neque linguae conditio nobis inter typhi, febrisque putridae discrimina, silentio praetereunda: utpote quae in febre utraque valde diversa est. In hoc enim, morbo ineunte, albescens et satis humida fuit: eodem procedente, quotidie magis magisque atra redditur, et modo quasi lucide livescit, atra quasi bulla summam ejus occupante; modo nigerrima per multos dies continuos permanet. Sub morbi acme vero, in universum, valde arescit, rigescit et nigrescit, seu colore quodam malum punicum refert. Contra, in illa, perraro sub initio sicca aut decolor, aliquando muco tenui, albescente oblinitur. Eadem vero, febre evectiore, ruberrima patescit, ejusque ardorem conqueritur aegrotans. Denique vero, ex ore ejus exserta magnopere tumescit.

XII. *Siti parva vel nulla.* Sitim nullam aut saltem leviusculam, in febre putrida — morbo ineunte — conqueruntur ho-

mines. Idem quoque non aliter typho jam correptis evenit: sed, illo provecto, sitis maxima, imo fere inexplebilis, urget: cum, ex adverso, in hoc, ad nullum fere morbi gradum, ne quidem eo vigente, sitis inexpleta sollicitat.

XIII. *Delirio.* Febre putrida laborantes — utplurimum ferociter, perinde ac si phrenitici, delirant. Delirium vero instare, vibratio carotidum vehemens et oculorum rubor suffusus, indicat: contra typho decumbentibus, mentis confusio seu perturbatio, potius quam delirium intervenit; adeo uti secum continuo mussitare semper auscultantibus exaudiantur: eandemque nec oculorum inflammatio, neque carotidum pulsatio, praecedunt.

XIV. *Postremo, quod eruptiones, quae in utraque febre discernuntur, attinet:* in typho die fere septimo vel nono circiter, aut undecimo, pustulae in cutim sese prorumpentes ostentant, respirandi, quae simul incidit, angustiam subsequutae, quae judicatoriae — nisi largiores, esse censentur: in febribus vero putridis — ut plurimum — petechiae primo sese patefaciunt; quibus evanescentibus, circa diem undecimum aut decimumquartum, ex sudoribus largiusculis obortis, pustulae miliares, albescentes, symptomaticae vulgo dijudicatae, deinceps efflorescunt.

Haec sunt tandem, quae nobis ad dijudicandas febres putridas atque nervosas, praecipue necessaria et notatu dignissima patescunt.

Aetiologia.

I. *Causae antecedentes.* Praedispositionem ad hunc morbum conciliant evacuationes fere omnes, quae supra quod conveniat, accedunt; salivatio vero imprimis, ebrietas, venus immodica, fames, labor, vigiliae nimis protractae; alimentorum pravo succo pollentium ingluvies, vita nimis otiose et sedentarie peracta; affectiones animi quae reprimunt: timor, anxietas, moestitia et hisce consimiles; denique, qui habitu laxo atque temperamento vel melancholico, vel phlegmatico constant, huic febri maxime obnoxii fiunt, sicque ex ea difficilius emergunt.

II. *Causae occasionales.* Ex hisce, quae jam sequuntur, maxime eminent ac saepissime huic morbo occasionem praebent:

1. *Miasmata* seu *aëris inquinamenta,* vegetabilibus et animalibus putrefactis exorta. 2. *Exhalationes,* quae ab aquis post inundationes stagnantibus et putrescentibus, vel a paludibus prope modum exsiccatis exoriuntur. 3. *Aër stagnans* ac *multorum respiratione inquinatus*; qualis scilicet in nosocomiis, navibus, ergastulis et carceribus, ubi complures homines

angustius coarctantur, ideoque sordibus multifariis adimplentur, offenditur. 4. *Diaeta ex carne animali sola absque vegetabilium idonea quantitate insumendorum usu;* vel ex carnibus aut piscibus nimis salitis et semi-putrescentibus: unde fit, ut qui rem nauticam exercent, porro qui per longum tempus obsidione conclusi circumcinguntur, huic febri maxime opportuni deveniunt. 5. *Cessatio ab exercitiis integra atque subitanea*, praesertim in illis qui sese exercitare consueverunt, eidem nec minus ansam praebere solet. 6. *Tempestates humidae*, Austriae, calore magno comitante, vel potius antecedente, parum salubres. Tales enim ad perspirationem imminuendam atque adeo systema nervosum, imo organismum universum languore quodam afficiendum et laxandum, efficacissime operantur. Ideoque, nil mirum, cur homines — si modo antea praedisponantur — iis incidentibus, hoc morbo facilius arripiantur. 7. Denique *miasmata humana et contagium.*

Haec utraque pro certissimis ac frequentissimis hujus febris causis remotis vulgatius habita. Quod contagium attinet, quin eas concitare certo certius possit non omnino recusandum. A nonnullis etiam incusari solent miasmata humana, talia scilicet, quae ex corpore sano proveniunt, quasi quae saepe saepius easdem accedendi vi maxima polleant; scimus nempe ex numerosissimis exemplis, febres putridas, quibus in locis homines confertissimi aggregati fuere, maxime omnium pullulasse; sicque e multis experimentis dilucide constat, aërem cujusvis loci arctius undequaque conclusio, ex plurimorum respiratione continuata demum inquinatum adeo reddi, ut omnes aëris sani dotes in totum exuerentur et hic non amplius respirationi inserviat.

At hic fortasse quidam sperarent, nos pauca de contagii natura, ejusque in corpus humanum operandi ratione, unde febres, in illo putridae gignantur, in medium prolaturos. Sed quoniam etiam apud illos, qui in hisce rebus maxime laborarunt, de alterutris parum certi constat et nos fictas ludentis ingenii fabulas hypotheticas aufugire concupiscimus, de hisce prorsus sileamus.

III. *Causa proxima.* Quod vero morbi, de quo disserimus, causam proximam attinet; de hac haud secius ac de febrium in genere causa proxima, plane confiteamur oportet, eam quoque nos prorsus latere; saltem vero, nos de ea nihil certi constituere posse; cum maxima autem verisimilitudine stàtuimus, esse quoddam putridum in sanguinem, aut systema irritabile ingestum, ibique quasi in fermentum agens et quod denique facit, ut ejus naturae massa sanguinis totius assimiletur.

Operandi modum, vel effectus in sanguinem exponere, quippe qui dubiis undique premuntur, nos penes non esse plane confiteamur liceat. Nos, de iis, hoc tantum pro certo fere, saltem perexiguam erroris notabilis aleam subeuntes, instituere possumus; id, scilicet, cujusnam demum indolis sit, ut ex tremoribus, rigoribus, virium prostratione magna et interdum valde subitanea, debilitate, pulsu debili, parvo, ceterisque satis in manifesto constare videretur, in systema nervosum primarie vires suas exercere. Ast lector benevole! nobis animo haesitantibus — ut succuras — enixe rogamus, — atque si quid istis rectius noveris, candidus impertiaris; si non, hisce nobiscum utaris.

Prognosis.

In prognosi tradenda, primo quae boni, deinde quae mali ominis existimantur, signa certissima proponere conabimur.

I. *Boni ominis signa.* Si diarrhoea levis, simul cum sudore blandiusculo, cum nullus interea, supra quod par est, corporis adsit calor, post diem septimum oboriatur, eadem salubre et vulgo judicatorium perhibebitur. Hujusmodi quoque sunt: ptyalismus levis, bubones in inguinibus aut axillis succrescentes, praecipue vero tumor et suppuratio glandularum parotidum. In signis ominis boni merito habentur eruptiones istae, quae labia naresque circumnascuntur; eaedem vero, quo magis rutilantes et inflammatae conspiciuntur, eo salubriores (Gregorius prael.). Itemque si adest aegro delirium leve tantum, si vires non multum imminuuntur: porro si vino hausto et aliis cardiacis ingestis, pulsus excitatur augeturque et animi alacriores exinde exhilarari videntur, simulque stupor, tremor ceteraque nervosa symptomata diminuuntur, ex hisce spes laeta effulget, morbi eventum felicissimum esse futurum (Pringle Observ.) Morbo declinante prognosim faustissimam praebent: urina turbida simulque sudor madorve quidam blandus, per totum corpus aequabiliter diffusus, vel etiam cutis quasi tactui mollis et lingua humescens; vel denique ejectiones biliosae, quas diaphoresis mox excipit, nec non audiendi gravedo. Eamdemque jam quoque praebet et morbi exitum auspicatum sperare facit, color petechiarum nigrescens aut violaceus, in lucidiorem conversus.

II. *Mali ominis signa.* Surditas nec non diarrhoea initio morbi ingruentes inter haec non immerito recensentur: ut etiam delirium ferox, vigiliae assiduae; eruptiones in thorace efflorescentes, iis quae in rubeola sese produnt, haud absimiles; petechiae nigrescentes; apthae atri coloris ut et, quae albe-

scentes lardi instar apparent; quibus mox superveniunt respiratio et deglutitio difficilis, dolore faucium ac oesophagi; cum singultu assiduo concomitantibus; (Hoffmann *de febr. petechial. Tom. II. p.* 85.) ejectiones nigrae, saniosae, sanguine tinctae, gravissime foetentes et valde contagiosae (absque tamen ulla abdominis detumescentia vel ejusdem duritiei ac tensionis imminutione provenientes); tales enim, intestina sphacelo correpta fuisse, demonstrant. Cum vero vibices seu maculae latae, lividescentes, quales ex sugillatione provenire solent, morbo ad exitum maturante, patescunt, simulque cum iis infimarum corporis partium livor et frigiditas increscunt: haec omnia, mortem jam in limite adesse, pro certo denunciant. Neque minus certe fere funestum eventum indicant: sitis nulla vel prorsus inexplebilis; lingua arida, discissa, nigricans; vel sudore et alvi fluxu cessante, delirium cum aliis pathematibus ingravescens; urina neque turbida, neque sedimentum deponens. Si os et lingua valde siccescunt ac squalore multo obsidentur (Huxhamo referente), hoc ubique periculosum et comam sive phrenitidem instare vaticinatur. Si denique aegri vires omnino deficiunt, neque vino, neque ceteris cardiacis quibuslibet ingestis resuscitari possunt; si oculi obfuscantur et aeger ex ore linguam exserere nequit; si degluticndi facultas magis magisque augetur; si nonnisi in tergo decumbere valet et genua quasi convolvit floccosque carpit; si partes vesicatae saniem foetidem effundunt ac sudores cadavera olent, noc non urina et excrementa involuntarie eo inscio defluunt, una cum convulsionibus; haec pessimi ominis habentur, mortisque certi praecursores. Nam naturam jam corruere ejusque vires a morbo funesto praegresso prorsus devictas esse, demonstrant. Haec vero, cum ita sese habent, ad medicinam frustra confugiendum erit, de aegro enim jamjam conclamatum.

Antequam vero ipsius morbi medelam acceleramus, paucas nonnisi cautelas ad praecavendam illius accessionem proferre liceat.

Prophylaxis.

Ad hunc morbum praecavendum maxime conferrunt: aër refrigeratorius et salubris, munditics, exercitatio lenior, diaeta generosa cum usu vini rubri, ad hilaritatem conciliandam tantum epoti, quotidiano: omnibus interea animi affectionibus reprimentibus, ut et fatigatione ac venere immodica, ceterisque similibus, prout pestiferis, enixe devitatis.

Medicum, ut et omnes aegrotis invigilantes, ob effluvia immunda atque contagiosa, linteum aceto vel succo citrino

madidum, in manibus semper tenere et frequenter ad nares suas admovere, praestaret. Medico quoque sedulo cavendum, ne jejunans aegrum invisat, aut in eodem cum illo lecto propius assidere audeat; porro, vestes suas mutare, manusque lavare, priusquam ceteros suae curae commissos adire properaret, ne labem temerarius, vestibus arreptam, secum foras exportaret, morbumque contactu communicaret, si qua fieri potuit, omnino deceret.

Therapia.

Ex hujus morbi natura et symptomatibus, quibus stipatur truculentis, quantum in nobis, pro rei subjectae difficultate, occasione viribusque nostris saltem fuit, luculenter jam perpensis atque expositis; deinceps uti morbum quam felicissime profligemus, aegrumque sanitati pristinae quam citissime restituamus, indicatio duplex sedulo observanda venit:

I. *„Actionem systematis sanguiferi nimis adauctam sedare „ac compescere.“*

A. Sanguinis missione.
   a. Generali.
   b. Topica.

B. Emeticis mitioribus; uti:
   a. Radix ipecacuanhae.
   b. Tart. lix. stib.
   c. Viola odorata.
   d. Oxymel. scillitic.
   e. Infus. flor. chamomillae.
   f. — cardui benedicti.

C. Laxantibus lenioribus, huc:
   a. Sal. medii.
   b. Cremor tartari.
   c. Radix rhei.
   d. Clysmata blandiuscula.

D. Diaphoreticis et antispasmodicis, cujusmodi:
   a. Camphora.
   b. Haustus salini.
   c. Moschus.
   d. Serum lactis acetosum seu vinosum.
   e. Potiones diluentes, acidulae, teporatae.
   f. Fotus tepidi.
   g. Pediluvium.
   h. Semicupium.

E. Regimine antiphlogistico.

II. Viribus septicis omnibus viis obviam ire ac interdicere, „simulque decumbentis robori studiose consulere.“

A. Causarum putrefactionis remotarum omnium et singularium evitatione religiosa, pariterque ceterorum, quae hanc intendere queant.

B. Humores putridos e corpore foras eliminando.

a. Supra dictis B. C. D. indic. I.

C. Virtute antiseptica et cardiaca pollentibus: qualia

a. Supra enumerata B. a. C. d. D. b. d. e. ejusdem.

b. Acida mineralia, cujusmodi:

α. Elix. vitriol. Mynsichtii.

β. Spir. vitriol. dulcis.

γ. Spirit. nitri dulcis, et recentiori tempore

δ. Kali muriaticum oxygenatum.

c. Acida vegetabilia; hucce pertinent:

α. Fructus horraei recentes, nostrates, quales: poma, pyra, pruna, fraga, ribesia etc. etiamque

β. Fructus ejusdem generis alienigeni; quales: citrus, aurantia, cum tamarindis ac similibus.

d. Alumen.

e. Cibus vegetabilis, acescens.

f. Potulenta gelida.

g. Aër frigidiusculus.

h. Cortex peruvianus.

i. Vinum, quale:

α. Budense.

β. Burdigalense generosum.

γ. Lusitanicum rubrum.

δ. Rhenanum.

k. Confectio cardiaca.

l. Opium.

D. Vi stimulatrici et cardiaca praeditis, sicuti:

a. Alcali volatile.

b. Serpentaria virginiana.

c. Valeriana sylvestris.

d. Arnica.

e. Contrayerva.

f. Vesicatoria.

g. Sinapismata.

h. Cataplasmata calida.

Jam de remediis in haec bina proposita valentissimis singulatim ex ordine tractare constituimus.

Inprimis ergo, medicum ad hanc febrem sanandam sese accingentem, operam strenue navare, ad plethoram — si quae

forsan adsit—imminuendam et motus febriles nimis violentos compescendos, maxime oportebit. Quo vero facilius certiusque in hisce voti compos sit, enixe incumbendum, ut omnia, quae febrem stimulare aut irritare consueverunt, qualia: calor ingens, lux nimia oculis affusa, clamor motusque prorsus amoveantur. Neque nihil idem adjuvabit, si afflictus regimini antiphlogistico sese, ut par est, assuesceret. Eidem quoque scopo nonnunquam inserviat venaesectio. Haec vero nonnisi summa cum cautela in hoc morbo adhibenda. Eademque numquam, nisi circa febris initium, absque detrimento exinde maximo, usurpetur. Imo, plurimos hac febre decumbentes, venaesectione non omnino instituta, incolumes evasisse; ea vero semel iterumve celebrata, perpaucos, addiscimus (Pringle observat.) At nos quippe, qui nullius in verba jurare addicti, quod venaesectionis usum in hac febre attineat, melius fortasse procederemus, si medium quoddam, inter haec extrema, teneremus. Num uti pulcherrime cecinit Ovidius:

„*Inter utrumque tene*; *medio tutissimus ibis.*"

Nos ergo, regulas aut admonitiones quasdam, ad venaesectionem in hac febre curanda spectantes, in lucem proferre tentamus.

I. Si quidem aegrotans aetate florescat atque ad diathesim phlogisticam proclivius vergat; si caput et dorsum vehementer doleant, simulque adsint pulsus plenus ac durus, calor internus, sitis magna, respiratio difficilis, cordis palpitatio et anxietas summa; ibi venaesectio, ast summa cum cautela, in usum vocanda: idque eo magis, quo magis ex contagio morbum primordia deduxisse, compertum, quod nec Huxhamum latuit.

II. Si vero morbus ulterius sese provexerit, aut si delirium intersit: sanguinis missio nusquam non nocebit; ideoque prorsus evitetur.

III. Pari ratione, si venaesectione celebrata, pulsus deficiat aut debilis evadat; eam iterum non esse repetendam, nisi cum damno fortasse non reparabili exinde proventuro, hoc erit in indicio.

IV. Ubi vero ex oculorum rubore suffuso et inflammatione, arteriarum carotidum vibratione forti pulsuque pleno, tenso duroque, cerebri inflammationem suspicare licuit; ecce, protinus ad detractionem sanguinis topicam, vel per hirudines medicinales temporibus applicatas, vel per cucurbitas cruentas vel denique per cujusdam partis scarificationem, omnino confugiendum. Pariterque si quando dolores erratici, pleuriticos vel colicos aemulantes, oriuntur, ibi testante Monro, venaesectio

absque damno vel minimo, imo maximo cum emolumento usurpentur.

Eundem denique scopum, quem *venaesectio*, pertingunt *emetica*, *alvum leniter solventia*, *diaphoretica et antispasmodica*. Sed quoniam haec eadem quodammodo simul ad indicationem utramque accommodantur, de usu, quem singula seorsim in hac febre praestant, nec non, ubinam et quomodo facilius adhibenda, singulatim exponere, magis ex ordine futurum arbitramur.

Emetica.

Omnes evacuationes nimis violentae, quippe quae validius aegrotantis vires enervant, in hac febre sedulo devitentur. Sed cum nulla fere hujusmodi febris absque majore aut minore ventriculi molestia et ad vomituritionem propensione, adparet, nihil obstabit, quin emeticum mitissimum, ad haec mala tollenda vel saltem sublevanda, propinaretur. Medicaminis hujusmodi dosis satis apta non tantum naturae conaminibus, ad colluviem biliosam, acrem putridamque, de stomacho rejiciendam feliciter succurrit; sed etiam — quod maximi emolumenti — cuticulae spiracula patefacit, spasmum in superficie natum mire solvit, alvumque pariter interdum leniter ducit. Adde etiam, quod hujusmodi medicamina multo minus, Huxhamo referente, quam ea, quae ad excretiones alvinas promovendas vulgatius adhibentur, naturam opitulatricem conturbant. Hocque praeter enarrata, res profecto desideratissima, ex vomitoriorum exhibitione tempestiva, saepissime consequitur, ut febris ad remissionem deducatur, eaque via locus cortici peruviano feliciter injiciendo praebeatur; quo factum fuit, prout perplurimi recentium testantur, ut febres alioquin truculentissimae futurae mitigatae decurtarentur, imo sub ipsis initiis sufflaminatae pluries omnino profligarentur. In haec autem munera multifaria subeunda, ceteris omnibus ex eo medicamentorum classe depromptis, longe praestat tartarus emeticus, ast dosi refracta et saepius iterata, adhibitus; quem etiam, nulla non morbi periodo, tutissime propinare licebit: atque, cum efficacia multo majori, cum ipecacuanha conjunctus, adhibeatur. Quocirca cum parte quarta mediave tartari emetici, quinque aut sex ipecacuanhae grana in dosim commodissime admisceantur. Atqui hodie per se, quovis liquore idoneo, qui ei pro vehiculo sit, solutus, ut in formula subsequenti, potissimum administrari solet.

Rp. Tart. emetici gr. duo — tria
Aq. commun. dest. unc. quatuor
— rosarum — unc. duas
Syr. caryophill. unc. unam et semis
M. F. solutio.

Hujusque mixturae cochlear in dosim ingeratur, idem repetendo semihoris singulis usque ad quartam vel quintam vicem, nisi prius alvus copiosius aut vomituritio supervenerit. Quod ad *tempus* spectaret, illam hora pomeridiana, vel serius, paulo ante paroxismi vespertini accessum exhibere maxime profuerit. Curiosiusque caveatur oportet, ne febricitans nauseabundus nimium potum ingurgitet, quo fit, ut vomitio citius validiusque, quam par est, excitetur, simulque medicamen e ventriculo foras eliminetur. Hujusmodi fuit forma, sub qua tartarum emeticum ex febrifugis et antimonialibus ceteris, remedium procul dubio palmarium, a Culleno toties maximo cum successu propinatum, observatum est, qui et ipecacuanham ad vomitionem plenam ciendam, commendavit. Usum aquae calidae ad eandem excitandam, omnino improbat Huxhamus. Idem vero decoctum vel infusum ipecacuanhae, nec non oxymel scilliticum, superbibendo infusum florum chamomillae collaudat. Hocce chamomillae infusum, praeterquam quod emetici cujusvis propinati operationem valde promoveat, quoniam etiam vi antiseptica pollet, in diathesin septicam, in primis viis accumulatam, si qua lateat, etiam strenue valebit. Sin aeger, stomacho bene evoluto, sordibusque expurgato, nauseare persistat, remedium optimum erit pauxillum theriac. andromach. mixtura idonea ex sal., absinth., succ. citri et aq. menthae composita, exhaustum; nec non stomacho, fotum aromaticum, vel cataplasmata ex spec. aromat. cum theriac. conjuncta, admovere summopere profuerit; vel ex theriaca sola, deinde guttas nonnullas ol. d. menth. et laudani liquid. ad lenem humectationem usque superinspergendo, optime conficiatur. Perraro vero fallit hoc remedium. Si in quibusdam abdominis visceribus adsint signa inflammationis topicae, ibi emeticorum usus in hac febre non omnino usurpandus.

Laxantia.

In hujus febris initio, non ea tantum, quae ventriculum, sed etiam quae intestina exonerare ac purgare valeant, adhibenda. Utriusque generis medicaminum usus, sub quovis morbi stadio, ex oris amaritudine, nausea, eructione nidorosa, foetida, nimia alvi adstrictione, abdominis tensione et tumore, torminibus

et ceteris, indicantur. Sin alvus, tartaro emetico insumpto, non solvatur, sed etiamnum adstricta ac quasi distenta, persisterit; ibi laxantia, sed lenissima, apprime conveniunt. Hujusmodi habentur: cremor tartari, manna, sal Glauberi, tamarind., rheum, parvis dosibus adhibita. Injectiones quoque ex lacte, saccharo et sale, idonea quantitate commixtis, in eundem finem accommode conducunt. Nec non crystalli tartari, qui summa cum laude in hac febre celebrantur, adeo, ut a ceteris ejusmodi medicaminibus palmam fere praeripere censeantur; quippe qui, medicamentum adeo efficacissimum esse, experientia comperiuntur, ac si, in febribus a putredine coortis, cum potu ordinario commiscerentur, humores putridos magnopere corrigunt; porro, si cum tamarind. et manna dosi apta opportune propinentur, purgamen summe antisepticum et bilis acrioris evacuatorium, subministrant. Omnia vero, quae acriter purgant, utpote quae tristissimos effectus edere consueverunt, in hoc morbo evitentur, oportebit.

Diaphoretica.

Quamvis haecce febris saepius ex sudore, quam ex ceteris evacuationibus, plenius judicatur, ideoque, uti semper blandiuscule sudaret aeger, valde saluti conducibile videretur; sudorem nihilominus, nisi admodum leniter moventia, in ea in subsidium minime advocanda. Talia vero, cum naturae conaminibus opitulantur et ad spasmum, in superficie natum, qui in hoc morbo dominatur, amovendum efficacissima deprehenduntur, curationi magnopere adminiculantur. Hujus vero classis omnia, quae nimis calefaciunt aut exstimulant, quippe quae perniciosissima semper esse reperiuntur, sedulo praecaveantur. Primarii generis: liquores omnes blandi, subacidi, diluentes, frequenter, parva vero copia singulis vicibus exhausti; liquores enim acidi, refrigerando aegros inservientes, acrem in stomacho bilem et intestinis diluunt, sitim sedant caloremque minuunt, — ac proinde, quo minus febris saeviet, inhibent; putridos quoque emendant humores. Ex iis praecipue eminet serum vaccinum, acetosum. Eodem spectant: emetica leniora, refractis dosibus saepius iteratis, assumpta. Ad diaphoresin lenem quoque promovendam, Huxhamus camphoram strenuo commendat; quippe non aliud, quam ea cum anodyno conjuncta, prout asserit, sub toto coelo medicamentum praebet, quod sudorem certo ciet; atque, eo consilio, elixir. asthmaticum vel paregoricum lubentissime propinare consuevit. Quoniam autem hocce remedium praestantissimum haud unicuique stomacho conveniat,

ad hoc incommodum amovendum, sub julapii forma cum aceto bene subactam exhibendam esse praescripsit. Hujus julapii vires ab illo summis laudibus efferuntur. Gregorius vero camphorae effectus in hac febre, prout in morbis aliis, admodum incertos esse praedicavit. Quin etiam ab ipso collegimus moschi grana quindecim, omni bihorio assumta, diaphoresim ciendo, praestantissimos effectus edere. Fructuum acidorum succi, citri praecipue ut et aurantiorum dulcium, nec minus eidem scopo apprime inserviunt: ast ingruente diarrhoea, ab eorum usu statim abstineatur oportebit. Spiritum Mindereri, prout medicamen leniter suderiferum in hoc morbo interdum usurpatum fuisse, Pringle observavit. Similiter quid obstat, ut ad sudores mitiores eliciendos, emetica diacodiatis, aptis dosibus maritata, imprimis pulv. Doveri (*Dover's powders*), sub cautelis debitis utilissime atque tutissime propinentur. Omnia pariter illa, de quibus antea fusius disceptatum, quae aut emesin cient aut nauseam inferre valent, diaphoreticis, modo recto ac tempestive subministrata, qua adminicula adnumerari merentur. Sicut etiam nitrum, quod, quum toties quoties fere in ventriculum insumptum, vim nauseantem exercere notatum fuit, vice diaphoretici palmarii antipuretici, sic ut nonnulli praedicant, exitu felici saepe functum fuisse experientia iterata comprobatum est.

Antispasmodica.

Omnia diaphoretica, prout optime notum, vi quoque plus minus antispasmodica pollent. Quoniam vero in illis tractandis, de horum etiam plerisque, quae in hoc morbo commodissime usurpantur, mentionem fecimus; omnia quae de iis antea tradidimus iterum nunc repetere, quod supervacaneum prorsus foret, existimamus. Liceat ergo tantum unam alteramve de balnei tepidi et fomentationum usu in hac febre animadversionem hic subtexere. Haec vero sub morbi decursu haud nimis libere in usum vocentur. Initio quidem balneum ex aqua tepida, cum pauxillo aceti paratum, ad salubritatem conferre potuit: Ast vero, morbo jam provecto, porro si multum aegrotantis vires defecerint, balnei tepidi, sic fomentationum adhibitio, utpote nimis laxant ac debilitant, summa cura devitaretur, tutissimum.

Nota. Utut vero haecce sese habeant, attamen usus balnei tepidi ac fomentationum in febribus putridis non omnino prohibendus: etenim, quotiescunque ex aegrotantis vultu efferato, adspectu torvo, typhomania, corporis totius ut et artuum concussionibus tremulis, motibus convulsivis, tendinum subsultu, ictibusque arteriarum frequentibus, imbecillibus, contractis, ir-

ritationes cerebri quascumque adesse hariolemur: porro, si coma aut delirium instarent; non aliunde magis certum, magisve tutum in haec mala subsidium quaerendum, prout omnibus fere practicis jam pridem innotuit.

Nunc ad indicationem alteram a nobis propositam, scilicet ut „*vires septicae quovis modo obveniantur et deleantur*," perveniendum. Huic inserviendae, ad amussim conveniunt remedia, quae titulo generali antisepticorum, cardiacorum et stimulantium insigniuntur.

I. Antiseptica.

Acida omnia, prout et omnes liquores aciduli, putredini validius obviam eunt: acida tamen vegetabilia, in hunc finem praescripta, mineralibus longe sunt anteponenda. Ex illis succi citri, aurantiorum eminent. Succus ejusmodi, cum materia farinacea commixtus, utilissime pro cibo suggeritur. Ex acidis mineralibus optimum habetur sulfuricum. Huc quoque spectat medicamen antea dictum, cristalli tartari, cujus vires antisepticae, nec non sales neutri ex succo citri parati, si praesertim ipso effervescentiae actu ingerantur. — Acidum muriaticum praecipue, intestinis materiis putrescentibus abundantibus, adhibetur; (Fortis *in der Abhandlung für praktische Aerzte* B. 14. p. 437.) ab aliis vero sal communis, una cum acidis vegetabilibus conjunctus, praeprimis laudatur qua remedium antisepticum. (Wright *transactions of the american philosophical society*, Vol. II.) In drachm. tribus acid. citri solvatur murias sodae quantum sufficit ad perfectam saturationem, cui addatur aq. menthae pip. libra una; de qua solutione omni quarta hora scutella coffeana hauriatur. Nostris temporibus kali muriaticum oxygenatum laudabilem vim antisepticam exseruit, et revera ceteris pharmacis plus oxygenii continet, quod facile iterum abripitur. Felici semper cum eventu propinatur, si putredinis indicia, insimul cum inflammatione locali complicata, increscunt, quae exitum in gangraenam suspicantur. Dosis: gr. duo — quatuor omni hora sub forma pulveris cum saccharo; sub frictione vero, cauti simus, admodum necesse ad prohibendam explosionem. Alumen, efficaciam roborantem atque adstringentem prae se ferens, in omnibus illis casibus a colliquatione exortis, praestantissimae utilitatis esse, jam dudum observatum; hanc ob causam in sudoribus ac sanguinis profluviis colliquativis, diarrhoëis c. s. p.; contradicitur vero viis primis nondum depuratis aut alvo obstructa. Praescribitur sub forma pulveris:

Rp. Alum. crudi
Gum. mimos.
Sacchar. alb. aa. gr. quindecim
M. F. pulv. disp. dos. duodecim
S. Omni tertia hora pulv.;

vel ejusdem medicamenti dr. una variis corticis peruviani formulis additur, aut unacum camphora conjungitur, nunquam vero per se ordinatur ob insufficientem virtutem excitantem.

Rp. Aq. cinnamom. s. v. unc. octo
Extr. chin. frig. parati unc. dimidiam
Alum. crud. scrup. duos — quatuor
Syr. altheae semiunciam.
M. S. omni bihorio cochlearia duo.

Secundum Hufeland:

Rp. Pulv. cort. chin. reg. unc. unam
Coq. c. aq. font. unc. sedecim ad unc. octo
adde
Pulv. rad. serpentar.
„ „ arnicae aa. dr. duas
digere. Colat. adde
Tinct. chin. Whytt. dr. tres
Alumin. crud. dr. duas
Liq. anodyn. Hoffm. dr. unam
Syr. cinnam. unc. unam
M. S. omni bihorio cochlearia duo.

Hisce etiam myrrham et chamomillam similiterque diaetam vegetabilem, farinaceam, acescentem, aquosamque forsan Italorum, una cum emeticis, eccoproticis et diluentibus ac similibus, de quibus antea satis luculenter egimus, subjungere liceat; utpote quae omnia, nec minus in diathesim septicam tum in sanguine, quam in ventriculo atque intestinis latitantem, egregie pollent. Aër quoque mephiticus per anum in intestina injectus, apud Anglos, si nonnullis auscultandum, in hujusmodi morbis incredibiliter fere profuit.

II. Cardiaca.

Hujusmodi medicamenta praecipue ad indicationis nostrae partem posteriorem accommodantur. Eorum usus, quippe quae in hac febre ex omnibus ceteris remediis nulli secunda, nequaquam omittendus. Inter ea verum locum primarium obtinet vinum rubrum generosum, cujus utilitatem summam Huxhamus jam exposuit. Commodissime quoque, in idem consilium, cum eodem pro re nata, cinnamom., cort. aurantior., ros. rubr. et aliquando elix. vitrioli guttulae paucae simul adhibeantur. Idem, cum aqua temperatum, pulsum minuit; delirium, quod plerumque in hac febre a debilitate nascitur, sedat; et denique, somnum, cum eum opiata non praestare valeant, interdum leniter inducit et motus animi effraenos mirifice componit. Si vinum defuerit, confectio cardiaca vices ejus optime supplebit. Eam una cum vino liberius exhibitam, etiam post corticem peruvianum incassum tentatum, aegri vires restaurasse compertum. Attamen non, nisi ubi desit vinum, adhibendam

esse suaserimus. Ibi vero specialiter indicatur ejus usus, ubi stimulo subitaneo opus erit. Hisce jam dictis, theriacam, serpentariam virginianam, valerianam sylvestrem, arnicam, contrayervam et alcali volatile subnectere possumus: ast háecce, quippe quae nimis esse stimulantia reperiuntur, non, nisi ubi stimulum derepente concitare indicatur, in usum advocare moneremus. Ad haec, frigus, aquam frigidam una cum ceteris potulentis egelidis, quae vires admodum cardiacas et tonicas, in hujusmodi morbis, nec minus praestare deprehenduntur, pro re nata secundis avibus in subsidium accersamus. Id autem caveatur maxime oportebit, quod, si capitis aut faucium, vel viscerum, quae in abdominis vel thoracis cavo conduntur, mala topica inflammatoria grassentur, ibi potationes quascumque frigidiores prohibere omnino melius tutiusque erit. Denique, opiata etiam, in eundem finem quam cardiaca, nonnunquam exhibentur, eorumque vicibus optime funguntur.

Nota. Etiam si fides quibusdam, iisque notae melioris in arte salutifera viris habenda foret, *camphora* contra vigilias et deliria pari cum successu saepe saepius propinata fuit. Etenim J. F. Schreiber *in observ. et cogitat. de pestilentiis*, ejusdem vires atque efficaciam in hisce submovendis ita laudavit: „In morbo gravi epidemico, cum petechiis varii coloris et nigris, post „lene vomitorium, non uno solum nomine laudanda camphora et „somnum arcescens et deliria compescens, aptissimum fuit remedium."

III. Cortex peruvianus.

De hoc autem, utpote qui cum vi cardiaca, tum non summe antiseptica, pollet, seorsim tractare lubebit. Efficaciam ejus insignem, in hac febre, praecipue stadio secundo, nemo in ambiguum revocare potest. Ejusdem usus necessarios, in hisce rerum articulis, *causa duplex* indicare videtur: *prima*, quoniam aegri vires summe debilitantur; *secunda*, quia tunc quoque diathesis septica maxime dominatur. Eundem autem, ante hoc morbi stadium, non exhibendum existimamus, sicuti jam J. Warren ait: „in stadio secundo, ubi atonica vel putrida dia„thesis locum obtinet, corticem esse efficacissimum, nemo du„bitat."

Quod formulas attinet, sub quibus exhibitus efficacissimus evadit, eum vel in substantia, vel in extracto, vel demum in infusione frigida, cui pauxillum ejusdem tincturae spirituosae, quae potentior evadat, admisceatur, subministrare commodissime licebit; iisdem in casibus, qui magnam corticis cinchonae quantitatem expostulant, varia ejusdem praeparata (Vogel) conjunguntur.

Rp. Pulv. cort. chin. unc. semis — duas
coq. c.
Aq. font. libr. duabus ad remant. libr. duarum
Col. adde:
Pulv. cort. chin. dr. duas — unc. dimidiam
Extr. cort. chin. frig. parat. dr. tres
M. S. omni hora cochlear unum.

Sin autem aegrotantis alvus adstricta, vel abdomen tumidum tensumque subsit, perpauca rad. rhei grana, singulis dosibus aptata, commodius adjungi queant. Viribus vitae multum prostratis, eum, cum cardiaco quodam conjunctum, propinare conveniet. Si vero stomachus eundem non facile sustineat, sub forma clysmatis injiciatur liceat; ast corticis his modis injecti copia multo major ad effectum suum praestandum postulabitur. Si respiratio difficilis premat et determinatio pulmones versus, ejusdem usum quodammodo inhibeat; conjunctum eo vel detur opium, vel oxymel scilliticum, idonea quantitate coaptatum. Denique vero, si perspirationem interea promovere vellemus, ei pauxillum spiritus Mindereri commisceatur.

Quoad dosin, in qua aptissime exhibetur, aegrum drachmam unam omni bihorio vel trihorio deglutisse sufficiat. Ejus tincturam propinare, maxime Huxhamo placuit; eamque saepius cum elixirio vitrioli conjunctam in subsidium vocavit. Sin autem sententiam nostram interponere nobis liceat, eam, sub hac forma, tanta copia, quanta opus esset, exhibere non conceditur. Addatur etiam, quod, propter spiritus vim nocivam, qui ei pro vehiculo suppetit, viribus stimulantibus nimis polleat. Ad summam vero, cortex peruvianus, in hoc morbo, seu ad ipsam morbi vim compescendam, seu ad aegrotantis vires restituendas ac sustentandas, seu ad putredinem obveniendam, remedium praebet eximium et praestantissimum. Nam experientia repetita et observatione cauta comprobatum est, eundem valde ad omnes secretiones salutares promovendas, uti sudoris etc. prout etiam ad sudores colliquantes sistendas conferre; nec non totum organismum roborare, vires aegri effaetas mire restaurare ac proinde putredini in hac febre obviam ire.

IV. Vesicatoria.

Quatenus illorum usus sit accommodus ac salutaris, nondum apud medicos satis convenit. Illa potius in hac febre nociva futura suspicaremur, ex eo, quod omnia quae vi irritante seu stimulatrice pollent, ut antea diximus, prout vulgo creditur, eidem aversantur (*Papers on fevers et infection. p.* 9.) Morbo incunte, praemature applicata numquam non nocebunt: ex illorum usu praematuro Huxhamus pervigilium, deli-

rium, tendinum subsultum et consimilia vidisse testatur. Haecce tamen medicamenta non essent in universum forsitan improbanda. Subjicit enim idem Cel. illa, febre declinante, summa cum utilitate usurpari posse; scilicet ubi solida torpescunt, sanguinis circuitus languescit et spiritus effecti deveniunt; sicut etiam ubi periclitatur aegrotans, ne in coma repentinum inciderit, vel ubi inflammatio cerebri localis immineat. Neque desunt exempla, ubi iisdem rebus circumstantibus, cataplasmata et sinapismata plantis pedum adnata multum profuere. Pringle tamen, delirium, quod antea satis vehemens exsistebat a remedii posterioris, ut et epispasticorum maxime autem illius usu, multum intendi refert (*Observat. p.* 282). Denique quandocumque signa determinationem pulmones versus, aliave thoracis, aut abdominis viscera praemonstrantia, subesse constarent, non alia quaelibet, ex totius medicinae foro decerpta medicamina, hisce malis succurrendis et abigendis, epispasticis opportune usurpatis praestantiora exstant. Quo vero parti laboranti propiora admoventur, eo citiores, nec minus atque faustiores effectus, ut plurimum edere consueverunt. Eaque tempore matutino potius, quam die jam advesperante, metu ne, quae tunc temporis ingruere solent exacerbationes, ab illorum stimulis ac irritamentis adaugeantur, imponenda moneremus. Nec alienum erit hoc etiam obiter suggerere, quod, si quando necessitas iisdem capiti applicandis urgeret, ad id maxime respiciamus oporteret, ut decem vel duodecim horis antequam admovenda suaserimus, capilli abscindantur, capillitiumque curiosius abrasum et deinde bene cum aceto tepefacto collutum foveatur; queis, una cum diluentium idonea quantitate subinde sorbendorum usu et cuticulae, simul ac elevata fit, amotione, stranguriae satis obveniatur.

V. Regimen idoneum.

Nec levis momenti in hoc morbo foret, in id attentius incumbere, ut aeger cibo potuque idoneis utatur; quod haec attinet, sint omnia levissima, refrigerantia et insimul antiseptica, ut: panada ex oryza, sago et hordeo parata cum uvis Corinthiacis aut passis, ac prunis confecta. Eadem vero saccharo et interdum aliquantulo vini rubri antea dicti superaddito, multo praestantior evadit; ad sustentandas aegri vires, pulmenta ex farina et oryza confecta et acidorum fructuum succo, saccharoque condita, cum vini pauxillo aliquando etiam permixta, valde conferunt. Victus omnis ex animalium genere petitus summa cura prohibeatur. Pro potu ordinario liquoribus blande acidulis, cum saccharo conditis, utatur; quibus quoque, si vires

multum deficiant, aliquantulum vini rubri commodissime commisceatur. Neque curam nullam exercere oportebit, ut aeger in cubiculo spatioso, perflabili, saepius aceto conspergendo, conservetur. Indusia, lodices et lecti stragula saepius immutentur et aëri exponantur: itemque faeces, sordesque quamprimum amoveantur: denique vero semper summa cura aegris omni modo prospiciatur.

Antequam vero omnino finem imponamus, quaedam de symptomatibus propriis occurrendis et amovendis, quin et de recidiva praecavenda et prophylaxi idonea, proferre, haud a re alienum fore putamus. Et primo, de symptomatibus quibusdam occurrendis ac amovendis.

Si ingruat diarrhoëa, felicissime cohibeatur, tinctura rosarum acidula, vino rubro cocto et cum cort. cinnamomi commixto, seu clysmatibus ex theriaca cum guttulis circiter XXV — XX. laud. liquid. singulis additis. In eundem finem aliquando etiam usurpetur pulvis Doweri; qui diaphoresin excitando, violentae diarrhoeae tempestive succurrat. In casu minus urgente cataplasmata aromatica et similes frictiones in abdomen, pharmaca mucilaginosa ac clysmata, salep, gg. arabic. e. s. p.; increscente vero periculo pulvis vel infus. radic. arnicae, ex dr. dimidia — una; decoct. rad. columb. cum alumine aut etiam aluminis sine ullo vehiculo scrupulum saepius repetitum; succus catechu et alia felici cum eventu usurpentur. e. g.

Rp. Aq. menth. pip. unc. quatuor
Vin. bon. alb. generos. unc. duas
Gum. mimos.
Succ. catechu aa dr. dimidiam
Alum. crud. drchm. unam.
M. S. omni bihorio cochlearia duo.

Ad vomitum, si nimis vehemens sit, sistendum, optime conveniunt haustus salini, in ipso effervescentiae statu propinati, cum hujusmodi ceteris. Ast de his et aliis eodem spectantibus, fusius antea diximus.

In tumore et suppuratione parotidum sedulo cavendum, ne materia introrsum absorbeatur, iterumque cum sanguine circumvecta, novas in corpore turbas excitaret. Fluctuationis ideo interventum minime praestolemur oportebit. Tumor potius, adhuc durus, resecandus; ut exitus inde materiae virulente pateat. Hujusmodi tumorum vero suppuratio, emplastris e gummis ferulaceis confectis aut cataplasmatibus demulcentibus, iis applicatis, optime promovebitur. Eadem saepius renovemus et calida servemus oportebit; nam refrigerata, vi potius repellente pollebunt.

Vermes, qui nonnunquam inter morbi decursum, intus hospitantur, refractis dosibus rhei et calomel. adhibitis, opportune profligantur.

Tumoribus crurum oedomatosis optime occurrit cortex peruvianus: ast, si quando tales incidant, ad eos submovendos utilissime conducunt: rad. raphani rustici infusum vel oxymel scilliticum. His vero frustra tentatis, ad vesicatoria, cutisque puncturas demum confugiendum.

Quaedam jam de recidiva praecavenda breviter submonenda restant.

I. Reconvalescentes ex hocce morbo funestissimo causas occasionales, omnes et singulas, studiosius aufugire, maxime oportebit. Quales vero sunt, satis copiose antea demonstravimus.

II. Medicina, quae apud nonnullos gymnastica audit, iisdem fortiter suadenda. Istud vero exercitationis genus, quod minime delasset, seu vires infirmatas exhauriat, aliis anteponendum. Quapropter inprimis vectio in rheda, dein equitatio quotidiana lenis, iisdem praecipienda. Quin etiam navigatio, pariterque corporis universi frictiones cum pannis lanëis siccis, aut cum strigili, subinde repetitis, multum prodesse queant. Ast lavatio frigida, quam primum vires perferre possint, ad tonum systematis nervosi, tum totius organismi restaurandum et obfirmandum, ceteris omnibus praeponenda.

III. Denique haud aspernando modo etiam adjuvabit, quo minus febris haecce recidivaret, si regimini accommodo sese obtingeret convalescens. Quod hoc attinet, quoniam idem, quod huic arcendae, item recidivanti occurrendae ad amussim idoneum esse proponimus, jam suprasub titulo „prophilaxis“ exposuimus, quae nunc, utpote qui repetitionem quamvis supervacaneam omnino aversamur, ut plane praeteriri possint, arbitramur.

Theses defendendae.

I.

Curationis rationem optime molietur, qui ex praesentibus futura praenoscit.

Hippocrates.

II.

Sunt spes et solatium valentissima artis medicae suffulcra.

III.

Causam febrium proximam systemati nervoso inhaerescere, probabile.

IV.

Mors, vitae poena.

V.

Nullum, praeter putredinem, invenies mortis subsequutae pathognomonicum signum.

VI.

Febris putrida, scorbutus acutus.

VII.

Aër refrigeratorius, potulenti gelidi, cortex peruvianus et vinum, utpote quae viribus cardiacis et antisepticis pollent, febrium putridarum curationi summopere adminiculantur.

VIII.

Contra luem syphiliticam, praeter abstinentiam, nulla prophylaxis.

IX.

Opinio, quae contendit, processum pathologicum syphilidis primarie et exquisite occupare systema lymphaticum, ac proin hoc systema eminenter pati, falsa.

X.

Sine anatomia nullus medicus.

XI.

Pterigium membranae conjunctivae parasita.

XII.

Nosocomia magna magnis damnis obnoxia.

XIII.

Innumerabiles dicis morbos? coquos numera.

Seneca.

XIV.

Peregrinatio multorum morborum medela.

XV.

Qualiscumque fuerit sanguis sursum, malus.

Hippocrates.

XVI.

Et qui justo plus, et qui justo minus bibit, saluti aversatur.

XVII.

Apparatus chirurgicus quo simplicior, eo melior.

XVIII.

Graviditatis incipientis indicia nulla, progredientis ambigua.

XIX.

Valetudo sustentatur notitia sui corporis et observatione, quae res aut prodesse soleant aut obesse.

Cic. de offic. Lib. II. c. 24.

